

Et nos Johannes de Kitlicz episcopus olim Misnensis omnibus Christi fidelibus confessis et contritis, qui ad supradictas missas obtulerint seu eas cantare iuverint modo supradicto, quadraginta dierum indulgentias de iniunctis penitentiis misericorditer in domino impertimur. In cuius testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum feria quarta post Agnetis anno ut supra.

Et nos Nicolaus episcopus Cathosiensis omnibus Christi fidelibus confessis et contritis, qui ad supradictas missas obtulerint seu eas cantare iuverint modo supradicto, quadraginta dies indulgentiarum de iniunctis penitentiis misericorditer in domino elargimur. In cuius testimonium sigillum nostrum est appensum feria tertia infra octavas ascensionis anno ut supra.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln der drei Bischöfe an Pergamentstreifen.

No. 772. 1404. 20. März.

*Transsumt der päbstl. Bulle vom 18. Aug. 1401.*

Nos Johannes Reppener reverendissimi in Christo patris et domini domini Güntheri sanctae Magdeburgensis ecclesiae in archiepiscopum confirmati vicarius in spiritualibus eiusque curiae officialis praesentibus publice recognoscimus, quod in nostra et testium infrascriptorum praesentia personaliter constitutus honorabilis vir magister Johannes Retir canonicus Merseburgensis ad nos per praenominatum reverendissimum in Christo patrem in quodam transsumptionis negotio certarum litterarum apostolicarum tenoris infrascripti missus cum diligenti instantia nos requisivit, quatenus Hermannum Warendorp notarium publicum infrascriptum requireremus sibi mandarem, ut certas litteras apostolicas more Romanae curiae bullatas cum filis sericeis glauci rubeique coloris, quas in manibus suis tenuit, exemplaret et in publicam formam redigendo transsumeret —. Nos vero Johannes vicarius et officialis memoratus ipsius magistri Johannis precibus inclinati praenominatum Hermannum Warendorp notarium publicum requisivimus sibi mandavimus, ut dictas litteras apostolicas coram nobis productas, quas sanas integras et omni prorsus vitio et suspicione carentes recepimus, exemplaret ac in publicam formam — transsumendo redigeret signoque suo tabellionatus et nomine consuetis subscribendo consignaret. Quibus quidem transsumptioni et exemplationi dictarum litterarum apostolicarum auctoritatem ordinariam ex nunc interponimus volentes ac decernentes, ut haec scriptura transsumpti dictas litteras apostolicas continens seu includens valeat vigoremque et effectum sortiatur litterarum apostolicarum originalium sibi stetur et stari debeat in et extra Romana curia, quotiens fuerit oportunitas. Tenor vero litterarum apostolicarum de verbo ad verbum sequitur et est talis:

Bonifacius episcopus — No. 757 — Jo. Gremis.

In cuius transsumptionis robor et evidens testimonium nostrorumque decreti et auctoritatis interpositionis — praesens publicum instrumentum per Hermannum notarium publicum infrascriptum subscribi et publicari mandavimus vicariatusque in spiritualibus sigilli fecimus appensione muniri. Acta sunt haec Magdeburg. in curia